DE MORBORUM SEXUS MULIEBRIS CUM MASCULO COMMUNIUM PECULIARI RATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE VIII. SEPTEMBRIS M. A. MDCCCXXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS HOEHNE
MARCANO - GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
AD. SAUER, MED. ET CHIR. DD.
THEOD. AMEKE, MED. ET CHIR. DD.
JOS. THOENISSEN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

Ardua res est, omnibus dare naturam et naturae suae omnia.

Plinius.

PROOEMIUM.

In deligenda dissertationis materie diu mihi versanti et haesitanti, ea demum, quam pertractavi, contemplatione accuratiori non indigna est visa. Sed in mediam rem jamjam abreptus, satis superque intellexi, quam impares operi vires sint tironis, quum ipsos viros eruditissimos haud mediocriter inter se dissentientes viderem.

In enumerandis morbis ordinem secutus sum, quem praeceptor noster ingeniosissimus *Schoenlein* in praelectionibus suis proposuit, quae, quamvis parum cognitae atque allegatae, brevi, quem praebent, morborum conspectu eorumque singulari distinctionis subtilitate insignes, ad usum quam maxime sunt habiles. Neurosibus omissis, solas haematoses contemplandas elegimus.

Ceterum si quis dissertationem meam legerit, ut ei, multarum uni, bono indulgeat animo, enixe precor.

LIBRI IN USUM VOCATI.

Karl Ludwig Klose, Ueber den Einflufs des Geschlechts-Unterschiedes auf Ausbildung und Heilung von Krankheiten. Stendal 1829.

Joh. Christ. Gottf. Jörg, Handbuch der Krankheiten des Weibes. Leipzig 1831.

(Caput. Von den Krankheiten, die den Mann eben sowohl als das Weib befallen können.)

Carl Gust. Carus, Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig 1828.

(Caput. Von der Eigenthümlichkeit in den Krankheiten des weiblichen Geschlechts.)

Ceterum Opera sat nota: Joh. Pet. Frank, Vogel, Reil. Schoenlein comment collect.

Et in formatione organica vitaeque processu, et in partibus genitalibus earumque munere plura nobis occurrunt, quae sexui muliebri omnino peculiaria et insignia sunt. Est enim architectura corporis tenerior laxiorque textura mollior, quam virorum. Ossa, musculi et organa in pectore locata, ac systema vasorum arteriosorum non ad eundem vigoris gradum evecta sunt, quem in viro exhibent; contra organis in cavo abdominis sitis, systemati vasorum venoso, organis, quibus vires formatrices insunt, systemati gangliorum spinalique medullae primae demandatae sunt partes. Materies, ex qua conformatur corpus, albumine, fabrica autem organica vasis, telaque cellulosa abundat. Cunctae partes solidae laxiores et molliores reperiuntur; sanguis notam venosi prae se fert; turgor vitalis eminet. Processus vitae citius absolvitur, vis plastica prae ceteris viget, et quemadmodum non ad eum perfectionis gradum evecta, ac in viris, celerius conficitur, ita maturius hebescit. Ipsa haec vis, in

conformanda materie organica, largior atque efficacior, causam habet, quae quamlibet materiae jacturam facilius redintegret atque restituat. — Irritabilitatem respicientes, magnam stimulos recipiendi facultatem cum praegrandi actionis imbecillitate, cum celeribus, energiae tamen et vigoris expertibus, musculorum motibus, circulatione sanguinis accelerata, evolutione caloris intensiore et largioribus secretionibus et excretionibus conjunctam observamus. In systemate nervorum, praesertim gangliorum spinalisque medullae, sensibilitas major, et irritamenta illis admota sensorio cummuni celerius advehuntur.

In vita sensifera animus (*Gemüth*) praevalet. Impulsu quodam interiore magis, quam consilio et cogitatione sexus sequior excellit; animus, quamvis angustus et demissus, tamen ad casus adversos et morbos ferendos paratus et constans.

Multiplices praeterea sunt genitalium functiones, quae in femina majorem quam in viro potestatem in reliqua corporis munera exserunt, ita ut, illis perturbatis, unum alterumve, vel plura simul, non multo post noxis prosterni se patiantur. Quod praesertim pubertate ineunte occurrit, quo tempore sanguis ad partes genitales largior affluit; turgor vitalis insignior; nisus plasticus in toto corpore incertior et inconstantior; facultas incitamenta recipiendi in nervis est adaucta; quare dysdynamia nervorum, inaequalis vitae sensiferae distributio, ex-

citatio vasorum vehemens et inaequalis sanguinis divisio illam vitae aetatem tam singularem reddunt. Vita sensuali expergefacta, omnia, quae in sensus agunt, inprimis, si ad functiones sexuales referantur, magnum imperium in totum corpus sibi vindicant. Animus et phantasia praevalent; animi affectiones et imaginandi facultas rationem facillime obnubilant, nec non vim suam in judicium exercent. Quae quamvis proprietates post pubertatem impetratam, fluxu mensium quasi critico apparente, aliqua ex parte tollantur, tamen, initio ante quemvis mensium fluxum redeuntes, non nisi sensim sensimque evanescunt.

Graviditate corpus muliebre summum, ad quod evehi debet, fastigium adsequitur; multiplices inde ac multifariae mutationes et in partibus genitalibus et in toto corpore emergunt, quae uno eodemque modo, quo vita foetus, procedunt atque variant. Sanguinis partibus fibrosis abundantis major copia paratur; actio vasorum et receptivitas totius corporis altius evectae, secretio bilis largior et intensior, functio pulmonum depressa et excretio urinae imminuta; haec ipsa vero spissior et partibus animalibus ditior. In coenaesthesi vitaque sensifera intemperies quaedam animadvertitur. Commercium matrem inter et foetum arctissimum intercedit. Uterus ad superiora adscendens et magnopere amplificatus, reliquis etiam partibus molestus, abdominis

visceribus novum pondus insolitaque impedimenta imponit, quibus functio et munera tractus intestinalis, quin adeo pulmonum coerceantur. Labore partus deinde ingruente totum corpus concitatur; sensibilitas, irritabilitas vasorumque actio sunt adauctae, nec non ratio peculiaris foetum inter et corpus maternum praecipue partes genitales pelvimque, existit.

Maximi momenti mutationes puerperio parantur. Propter vitalem genitalium turgorem, ineunte puerperio adhuc vigentem, nova secretio, lochia, paulatim vero evanescentia, provocantur; uterus magis contractus altius in pelvim descendit, ac vita praevalente plastica destituitur; turgor etiam partium genitalium externarum decrescit. Adfluxus sanguinis ad mammas et cutim prae ceteris fertur; et ipse sanguis, in gravidis abundantia fibrinae insignis, singulari totius systematis vasorum ad parandos secernendosque humores lymphaticos nisu, in puerperis lochiorum fluxu, lactis atque sudoris copiosi secretione, ad normalem gradum restituitur. Et functio pulmonum tractusque intestinalis expeditior evadit.

Denique progressa ad seriorem aetatem, (annos climactericos vocant,) mulier amittit nonnulla, quae ei sunt propria et insignia. Decrescente enim paulatim in organis genitalibus vita plastica ac deficiente mensium fluxu, corpus femineum ad mascu-

lum propius accedit; quin adeo barba, ut in viraginibus, aliquando procedit, praesertim si menstruatio justo prius cesserit. Hinc discrimina quoque, quae alias inter morbos sexus masculi et feminei intercedunt, minus observentur.

Ex iis, quae hucusque de anatomicis, physiologicis et psychicis rationibus sexus feminei breviter tantum apposita sunt, nemo non intelliget, illi, praecipue inde a tempore pubertatis, opportunitatem ad morbos majorem inesse. Ante illud tempus discrimen opportunitatis inter pueros et puellas non est tam insigne, et omnibus morbis, qui aetatem puerilem adgrediuntur, pueri et puellae, pari modo, angina membranacea tantummodo excepta, submittuntur; denique parum vel nihil discriminis, quod ad characterem, symptomata, decursum, atque exitum morborum referendum sit, animadvertitur.

DE PRAEDISPOSITIONE SEXUS AD MORBOS GENERALI.

Sexus femineus magna stimulos recipiendi facultate, corporis architectura debiliori texturaque laxiori praeditus, in universum magis externarum rerum injuriis patet et ad morbos opportunior invenitur. Quae opportunitas augetur periodico illo vitae fluxu et refluxu, per menses recurrente, qui tam universi corporis, quam praesertim nervorum vitam temperiemque eum in modum afficit, ut vel

functiones ipsae in morbos abeant, vel, illis perturbatis, alia organa noxis affligantur. A vita venarum, virium formatricibus, systemate gangliorum spinalique medulla praevalentibus, propensio illa ad morbos venosos, affectiones febri asthenica stipatas, haemorrhagias profusas, morbos gastricos, obstructiones viscerum abdominalium, haemorrhoides, gangliorum medullaeque spinalis spasmos, cardialgias, colicas proficiscitur. Sexum sequiorem et neurosibus psychicis, somnambulismo, maniae, praeprimis nymphomaniae, obnoxium esse, ex iis jam patet, quae supra de conditione animi adnotata sunt, et, ratione functionum sexualium habita, facile erit intellectu, unde illorum malorum fons scaturiat. Consensus denique et commercium mutuum, quod inter omnes corporis partes, genitales et cetera corporis systemata existit, sexum femineum ad morbos complicatos pronum reddit. Post pubertatem illud commercium per menses, praesertim in morbis chronicis, arctius adhuc et firmius nectitur.

DE PRAEDISPOSITIONE PUBERTATIS TEMPORE.

E nisu plastico hac aetate adaucto, excitatione vasorum, inaequali sanguinis distributione, nervorum concitatione, praedispositio ad morbos nova, ad plethoram vel universalem, vel localem, inflam-

mationes, haemorrhagias, menses anomalos, chlorosin et varias neuroses emergit.

DE PRAEDISPOSITIONE IN GRAVIDITATE.

Et graviditas propter majorem stimulos recipiendi facilitatem praedispositione ad morbos varios exquisita insignitur, praecipue initio, ubi, ratione normali inter varia systemata et organa saepe turbata, corpus mutationibus novis nondum adsuefactum, plurimis difficultatibus est obnoxium. Nisus plasticus adauctus, magna lymphae plasticae copia, excitatio systematis vasorum, inaequalis sanguinis ad diversas corporis partes distributio et peculiaris saepe nervorum sensibilitas, ad plethoram, congestiones versus caput, spinalemque medullam, versus dentes organaque pectoris, ad neuroses nonnullas, neuralgias, spasmos, convulsiones, vertiginem animique deliquia gravidas reddit propensas. Coenaesthesis perturbata ad anorexiam, varias appetentiae anomalias et nonnullas animi affectiones ansam praebet. Secretio bilis cutisque largior ad morbos quosdam disponit, ad vomitum biliosum, diarrhoeas atque colicas biliosas, icterum, morositatem, melancholiam et varia exanthemata, praecipue chloasma. Ratio propria mechanica et dynamica, quae utero est cum partibus quod ad situm atque consensum, ad varias affectiones, ad difficultates mingendi, dysuriam, stranguriam, ischu-

riam, incontinentiam urinae, alvi obstructionem, venarum dilatationes in partibus genitalibus, nec non in extremitatibus genitalibus, varices, vasorumque haemorrhoidalium dilatationes, haemorrhoides coecas, oedemataque pedum gravidis impertit propensitatem.

DE PRAEDISPOSITIONE IN PUERPERIS.

In puerperio illae partes affectiones propendunt, quae graviditatis parturiendique laboris praeprimis participes fuere, nec non eae, in quibus tunc processus vitalis maxime viget; qua ex causa uterus, vagina, peritonaeum, organa in cavo abdominis sita, cutis, mammae et organa pectoris prae ceteris ad affectiones morbosas opportuna sunt. Morbi, qui, graviditate perdurante, nulla vel pauca ceperunt incrementa illa finita, rapidius plerumque decurrunt, quod imprimis in phthisi pulmonum observatur.

DE PRAEDISPOSITIONE IN LACTANTIBUS.

Et lactatio ipsa non omni sanitatis prosternendae periculo caret, si respicis feminas, quae admodum irritabiles, systemateque nervorum plus justo sensibili atque debili instructae sunt. Facile enim istae phthisi afficiuntur.

DE PRAEDISPOSITIONE INTRA ANNOS CLIMACTERICOS.

In femina, ad aetatem majorem provecta, morborum ille fons non exhaustus est; circuitus enim sanguinis mutatus, mensium cessatio et exorta inde mutatio quaedam illius rationis, quam antea systemata singula inter se alebant, plethoram, congestiones ad partes varias, ac neuroses producere valet. Haud raro quoque accidit, ut nisus ille plasticus adhuc praevalens materie supervacua, quae neque secernatur et evacuetur, neque ad instaurandam vitam irritabilem et sensiferam, satis bene vigentem, impendi possit, et quodammodo in pejus abeat, ad procreanda pseudoplasmata, indurationes, scirrhos, cancros, polypos, tumores cysticos abutatur.

Notatu adhuc dignum esse videtur, sexum femineum iisdem rationibus, quae praebent ad morbos opportunitatem, etiam ab aliis morbis posse defendi aut liberari. Graviditas, lactatio et systematis nervosi tunc temporis proprietas quaedam, contra morbos epidemicos et endemicos saepe praesidium praebent. Plerumque symptomata phthiseos pulmonum in gravidis evanescuut; quin adeo phthisis incipiens aliquando graviditate superveniente sanatur; quod idem ad neuroses quasdam pertinet. Haud minus puerperium, vita functioneque cutis magis

vigentibus, catarrhum et rheumatismum chronicum, hydropem, arthritidem, infarctus abdominis, intumescentias organorum, febres intermittentes, praecipue quartanas, exanthemata et impetigines, ulcera atonica et chronica depellere solet.

Feminae denique, annos climactericos transgressae, opportunitate ad morbos alibi enumeratos excepta, faustiori valetudine, quam viri, omnino gaudent, quare plures feminae quam viri ad altiorem senectutem perveniunt, sicuti aetate infantili mors praematura plura puerorum, quam puellarum funera sibi rapit.

Proprietates sexus sequioris supra expositae, praecipue vero magna vis et potestas, quam imperium genitalium in totum corpus sibi vindicat, non solum praedispositionem peculiarem ad singulos morbos praebeant, sed et effigiem formamque morborum proprio modo mutent, necesse est. Copia cruoris nimia, quae in virginibus invenitur et mensibus periodice fluentibus minui solet, haud raro uno alterove morbo retenta, vim vehementiamque morborum auget, eosque vitae quam maxime periculosos reddit. Eadem est causa, quod gravidae, praeter abortus vel partus praematuri periculum, morbis quibuscunque, praecipue vero inflammatoriis, cerebri aut pulmonum etc. correptae, in tanto periculo versantur. — In puerperio morbi plerumque propter copiam cruoris adhuc praevalentem ad cha-

racterem exsudativum, aut neuroparalyticum propter excitatam vel laesam nervorum vitam, aut utrumque mixtum prae se ferunt.

Maximi momenti in omnibus morbis et acutis et chronicis menses esse, extra omnem positum est dubitationem. Quippe morbi acuti saepe eodem die, quo menses prodeunt, judicantur aut mitigantur, imprimis, si his retentis provocati aut menses illis perturbati fuerint. In morbis vero chronicis symptomata muneribus genitalium per menses recurrentibus, saepe exasperantur, unde fit, ut morbi illi sensim sensimque periodicitatem quandam obtineant. Consensus, valetudine integra, inter varia systemata et diversas organorum functiones in sexu sequiore jam arctior et firmior, majorem adhuc affinitatis gradum adipiscitur, feminis aegrotantibus. Tunc coenaesthesis facillime turbatur; functiones multorum organorum vel corporis partium uno eodemque modo offenduntur.

QUAEDAM DE DIFFERENTIA SYMPTOMATUM IN SYSTEMATE NERVOSO SPECIFICA.

Tenerius, mollius atque sensibilius nervorum systema sexus feminei facilius in turbas agitur. Symptomata id habent primum peculiare, ut valde agilia atque irregularia plerumque characterem et indolem erethismi magis, quam paralyseos prae se ferant. In organis sensuum, in organo visus,

auditus, gustus atque odoratus, mulieribus multo frequentius, ac viris, symptomata oriuntur, quae sicut dolores et spasmi in aliis organis, praecipue secretoriis et excretoriis, meram morbi effigiem obfuscare et turbare valent. Quae symptomata, quamvis vehementiora et periculosiora haud raro appareant, plerumque tamen, nihilo detrimenti relicto, evanescunt. In morbis acutis, vel qui febribus sat intensis stipantur, feminae frequentius ad deliria vergunt, quae mitia et blanda esse solent. Quae opportunitas ad deliria e vigilia, vividis et vigilibus somniis, quae in feminis. vel sanis, frequentius occurrunt, satis superque deduci potest.

Multis denique observationibus in aprico positum est sexum femineum, sicuti ad morbos aequo animo ferendos magis paratum et constantem, ita etiam ad morbos fingendos, simulandos et dissimulandos, ad fraudem fallaciamque ineundam promtiorem esse. Cujus rei testimonia recentissimis temporibus plurima oblata sunt. Valet, proh dolor! saepe illud *Stollianum:* Mulieri ne mortuae quidem credendum est. *Vor allem lernt die Weiber führen u. s. w. v. Goethe.*

DE DIFFERENTIA SYMPTOMATUM IN SYSTEMATE IRRITABILI SPECIFICA.

Symptomata in systemate irritabili occurrentia, illa vi intensa et vehementia, quae in viris observa-

tur, plerumque carent, latius vero patere solent, cum complicationes et symptomata ad varia organa vel partes organicas extensa, per majorem consensum et sympathiam provocata, multo frequentius in sexu sequiori observentur. Feminae vehementiores irritationes atque laesiones systematis irritabilis propter flexibilitatem et laxitatem partium eximiam facilius, quam viri, perferunt; reactio quamvis promtior ac in sexu masculo, minus tamen valida apparet; quare illa symptomata metuenda et terrifica: trismus tetanusque, spasmi tonici aut clonici, violenta musculorum actio, in feminis rarius observantur. Pulsus irregularior, irritabilior, debilior, saepius variat, et minoris momenti in cognoscendis et curandis morbis habendus est.

DE DIFFERENTIA SYMPTOMATUM IN SYSTEMATE VEGETATIVO SPECIFICA.

Eminens quidem organorum, reproductioni inservientium, sed minorem vim et efficaciam in concoquendis ingestis prae se ferens tubi intestinalis vita, illiusque cum utero arctius commercium atque consensus, nec minus in gravidis rationes mechanicae et dynamicae, quae inter varia organa intercedunt, hepar cutisque perversa, irritabiliora et largius secernentia, omnium organorum in cavo abdominis collocatorum ad plethoram opportunitas, multiplicia atque multifaria producere valent sympto-

mata, systematis nervosi et irritabilis supra adnotata, et in ipso systemate reproductivo vitia gastrica, nauseam, vomituritiones, vomitum, quo materiae varii generis, mucosae, aquosae, biliosae, redduntur, obstructiones alvi, quas mox diarrhoea excipit, et, ut brevibus dicam, symptomata, quae valde variant, inter se discrepant, atque sibi repugnant.

FEBRIS.

Febris si comitatur morbos, in universum magis prae se fert characterem erethismi, vergit vero propter praevalentem venarum vitam ad characterem torporis, quo fit, ut colliquationes vires vitamque exhaurientes facile prorumpant.

DECURSUS.

Decursus morborum sexus sequioris, generatim minus aequalis et regularis, frequentius mutatur et perturbatur; symptomata pathognomonica non tam constantia observantur. Morbi feminarum serius ad eum evolutionis gradum evehi solent, quo normali crisi solvi possint, quum e contrario alii, et ex his acuti, e suppressis mensibus orti, vel aucti, mox sanentur, dum illi redierint. Ceterum permulti ad decursum chronicum vel lentum propendunt, quod minus miraberis, si ad conditionem corporis feminei, praecipue graviditati, puerperio et

lactationi peculiarem, respicias. Laesiones externae, vulnera, fracturae ossium mulierum gravidarum, puerperarum et lactantium tardius sanantur. — Sin tandem res in melius versa est, vis medicatrix naturae est potentior, praevalente enim reproductione atque sanguificationis processu magis vigente, vires morbo ablatae celerius, ac in viris, restituuntur.

AETIOLOGIA.

Causae praedisponentes jam supra paulo accuratius expositae, saepissime levibus et exiguis tantummodo irritamentis indigent, quibus praedispositio illa in morbos verti queat. Ceterum vero non est negandum, a mulieribus injurias graviores cohaesionem organicam offendentes multo facilius ac a viris perferri, quum ex debilioribus nervis atque musculis non illa vehementia symptomata emergere possint et cum imbecillitate, causis externis obsistendi atque renitendi, flexibilitas, ut ita dicam, partium organicarum major conjuncta sit. Impressiones morbificae, semel perceptae in viris multo altiores agere radices solent, quare et morbi periculosiores oriuntur, rapidius decurrunt, celerius mortem inducunt.

In sexu sequiori processus vitae, praecipue functiones genitalium, saepissime morbis provocandis ansam praebent; cum e contrario causae morborum sexus masculi magis in rebus externis posi-

tae sint. Systema genitalium, hoc amplissimum morborum seminarium, multo majorem vim in corpus et animum exserit. Morbi cujuscunque generis, suppressis, irregularibus mensibus provocari possunt. Venus, quoad accommodata est naturae, feminis negata perniciosior existit, quam viris. Vita caelebs pessime mulieres afficit, menses perturbare, scirrhos, carcinomata, praematuram mortem inferre valet; quare in coenobiis monialium illi morbi tam frequenter reperiuntur, et vidui laetiori valetudinis conditione, quam viduae fruuntur.

Causis morborum in sexu utroque comparatis, hoc fere discrimen redundat. In viris motus nimii atque improbi, in feminis sanitati parum congruus illorum defectus, quies nimia atque inertia, ad morbos ansam praebent. Viri vulgo sanitatem potuum abusu spirituosorum, ciborumque aromate abundantium, excitantium, feminae saepius potibus vires corporis relaxantibus, blandioribus et calidioribus cibis perturbant et evertunt, quare in coquis et feminis, quibus cellae penariae demandatae sunt, tam saepe gastritis chronica et malum hystericum occurrit. Transpiratio extremitatum inferiorum suppressa vel impedita feminis est perniciosior et frequentior. Ceterum et vestimenta, ad tegendas singulas corporis partes et vim aëris ab illis propulsandam, minus idonea, vestimenta leviora, vel partes et organa singularia corporis plus debito comprimentia, non so-

lum eorum, sed secundarie quoque aliorum organorum functiones, variis vitae femineae processibus, graviditate praesertim jam mutatas et alienatas, impedientia, ad provocandos morbos, vel formam, structuram situmque organorum mutanda multum conferunt.

DE INFLAMMATIONIBUS.

Inflammationes sexus feminei plerumque prae se ferunt characterem erethismi; symptomata pathognomonica non tam constantia atque gravia, quam in viris apparent, sed mutantur, variant; subjectiva, dolores nominatim, quamvis ratione partis affectae varii et diversi, in universum tamen magis obtusi, tendentes, gravantes accusantur. Pulsus variabilis, ad naturam indolemque inflammationis cognoscendas minus aptus minorisque momenti. Saepe inflammationes ad decursum chronicum tendunt, lentae et obscuriores irrepunt; quare dignoscendi difficultas adaucta, et morbi longe discrepantes inflammationes aemulantur, sic oophoritis chronica hysterismum saepe simulat.

Quum inflammationes raro ad eum, quem in viris occupant, intensitatis gradum evehantur, crises et tardiores et imperfectiores exoriri atque procedere necesse est, quamquam proprio femina organo, utero nempe, cui saepissime primae crisium partes demandatae sunt, prae viris gaudeat. Et notatu di-

gnum est, pubertatis introitum, graviditatem, irritabilitatem maxime variabilem et mutabilem crisibus provocandis et efficiendis obstare easque retardare. Ceterum fluxus mensium, eo tempore apparens, quo inflammatio quaedam in eo est, ut normali crisi solvatur, quam maxime est exoptatus. Tardiores atque incertiores crises exsudationibus, novis membranis, pseudoplasmatis gignendis favent; quare adhaesiones vicinarum partium, inprimis in abdomine tam crebro inveniuntur. Rarius inflammatio propter texturam partium laxiorem in gangraenam, frequentius vero in indurationem, praecipue si glandulas occupaverit, finitur.

Sexum virilem saepius inflammationibus corripi, experientia docet: nam in muliebri plethora grandior, non nisi tamen ex vita venarum praevalente derivanda, ad inflammationes provocandas minus prona est et apta. Et illae partes, vel organa, in quibus vita arteriarum eam venarum aequat, vel adeo superat, facile inflammationibus submittuntur. Sed adhuc praedispositio inflammatoria, sexui inprimis femineo propria, astheniae, una cum nimia sensibilitate et irritabilitate conjunctae, innitens, observatur, ita ut irritamenta exigua atque levia, quin adeo illa, quae vitae alendae et servandae apta et necessaria sint, sat vehementes inflammationes efficiant.

Praeter causas inflammationum communes quam maxime functiones et munera genitalium impedita accusanda sunt. Menses deficientes, inter involutionem turbati, ita ut justo maturius aut serius, celerius aut tardius appareant, suppressi, irregulares, profusiores, parciores, graviditas, et, quod fieri potest, illam comitantes difficultates, partus, puerperium, lochia suppressa et turbata, inflammationes quarumcunque partium evocare possunt.

Si ad singulas feminei corporis partes respicias, organa supra diaphragma posita, quippe in feminis minus vigentia, rarius inflammatione correpta invenies; encephalitis igitur, arachnitis, meningitis, inflammatio medullae spinalis rarius in feminis observantur, quod e minori arteriarum, quae ad encephalum adscendunt atque sanguinem ei advehunt, volumine, causarumque externarum rariori accessu satis intelligitur. Idem de inflammatione organorum pectoris est notandum; si enim inflammationes pleurae atque pulmonum utriusque sexus comparaveris, longe rariores apud feminas invenies.

Contra inflammationes organorum, infra diaphragma in cavo peritonaei collocatorum, frequentius apud feminas observatur, lenteque incedentes ad decursum chronicum vergunt, exsudationi, indurationi, pseudoplasmatis et concretionibus viscerum favent. Haemorrhagia uteri critica saepe solvuntur Frequentia horum morborum, omissis causis com-

munibus, in praevalente nervorum arteriarumque vita, in suppressis mensibus, inflammatio hepatis praeterea in eximia irritabilitate, praecipue si animi pathemata excitantia in hoc viscus egerint, posita est. Mulieribus obesis hepatitis in suppurationem transire minatur. Inflammationes systematis uropoetici rariores occurrunt.

Iis, quae de inflammationibus retuli, de dysenteria, quae, vel epidemica, vel interdum sporadica occurrens, ad naturam indolemque familiae morborum sequentis vergit, pauca addam. Infestat illa frequentius, exceptis tantummodo paucis epidemiis, sexum femineum, praeprimis puerperas, in quibus ad characterem putridum tendere, et gravidas, in quibus abortum vel partum praematurum excitare solet. Feminae sensibiliores, irritabiliores, ad spasmos propensae, dysenteria biliosa correptae, in magno vitae descrimine versantur.

DE NEUROPHLOGOSIBUS, SIVE INFLAMMATIONIBUS NEUROPARALYTICIS.

Inflammationes, quae ad hanc morborum familiam pertinent, magnis insigniuntur partibus, quas systema nervosum affecti organi agit. Tum temporis plerumque occurrunt, quo organon quodcunque ad summum perfectionis fastigium jamjam evectum, aut in eo est, ut ad illud adscendat. Dummodo efficaciam obiter respicias, quam systema nervosum

in quocunque processu corporis humani vitali praestat, in dentitione, pubertate ineunte, menstruatione, generatione, graviditate etc., facile erit intellectu, morbos existere peculiares oportere, quum inflammatio organa tunc temporis, quo illis vires formatrices praecipue insint, adgrediatur, simulque cum illa systema affectae partis nervosum peculiari modo in turbas agatur. Neurophlogoses igitur praeprimis feminis periculosas esse, ex argumentis jam saepius enumeratis luculenter apparet. Nonnullas, ut gangraenam uteri, phlegmatiam albam dolentem, febrem puerperalem, quae utraque saepe hujus familiae morborum naturam induit, feminis tantum proprias, hic missas faciamus. De dysenteria supra jam dictum est. Ceterae neurophlogoses plerumque aetate infantili aut puerili occurrunt, qua parum vel nihil discriminis, ut supra adnotavi, in morbis utriusque sexus animadvertitur. Hydrocephalus acutus, trismus neonatorum, stomacace, gastromalacia utrumque sexum pari modo, angina vero membranacea pueros longe frequentius adgreditur, quasi sexus masculus vim illam tubi respiratorii majorem atque robur insignius majori periculo sibi comparare debeat.

Neurophlogoses, in cute externa apparentes, carbunculus nimirum et pustula maligna rapidiorem feminis decursum emetiuntur.

DE TYPHIS, VEL FEBRIBUS NERVOSIS.

Arduum est, de differentia, quam sexus alteruter in morbis, quorum natura et indoles magna ex parte adhuc versatur in tenebris, exhibeat, aliquid certi, quod per experientiam comprobetur afferre. Ceterum vero si e phaenomenis concludere quidpiam liceat, facile persuasum habebis, sexui femineo majorem ad hanc morborum familiam subesse dispositionem. Et reapse symptomata febris nervosae versatilis (*P. Frank*) saepius in eo observantur; et typho abdominali feminas frequentius affici, compertum est; quum intemperies nervorum abdominalium, hysteria, epilepsia, helminthiasis ad procreandum hunc morbum multum conferant. Typhus vero cerebralis (Febris nervosa stupida *Frank*) sexum virilem praeprimis adgreditur. Praedispositione ad hunc morbum vigente, causae occasionales viros frequentius adoriuntur.

De typho contagioso *Hildenbrand* ita disserit: Sexus differentiam, ad contagium typhosum, vel quodvis aliud in se recipiendum, haud insignem praestare videtur; attamen sexus femineus magis aptus virili, quippe quum, teneriori et plus aequo perspirante cute instructi, debiles et enervi homines ad contagium recipiendum quam plurimum vergant; robustis vero et validis saepe immunibus. Ceterum sexus virilis injuriis frequentius committitur; qua

de causa et in epidemiis numerus virorum exstinctorum major esse solet, quam feminarum. Decursus morbi in feminis saepius protrahitur; complicationes quidem frequentiores, leviores, tamen et in convalescentibus saepe cessatio mensium, observantur.

DE CYANOSIBUS.

Natura et indoles morborum, qui ad hanc familiam pertinent, praecipue in eo versatur, quod metaphorsosis sanguinis venosi in arteriosum vel vitiis organicis, vel causis externis praepediatur atque retardetur. Sexus igitur femineus praevalente venarum vita sanguinisque venosi abundantia insignis, hosce morbos, praecipue qui causis externis provocantur, facilius recipere videtur.

Cyanosis cardiaca sive morbus coeruleus non nisi aetate infantili et puerili, rarissime usque ad juvenilem persistens, occurrit et saepius pueros adgreditur, quos et acrius urget atque vexat, quum iis necessitas, sanguinem venosum in arteriosum respirationis actu mutandi, major insit; quod et illa observatione probatur, quae embryones masculos durante partu facilius asphyxia corripi docet. —

Sexum femineum ad scorbutum minus propendere contendunt, at noxae tantum externae, quae morbum producant, saepius deficiunt; etenim feminae, ut nautae affirmant, promtius scorbuto maritimo afficiuntur.

Morbus maculosus *Werlhofii* frequentius occurrit in sexu femineo, tam ante pubertatem, quam annis climactericis.

DE HAEMORRHAGIIS.

Systema vasorum sanguiferorum irritabilius atque mobilius, plethora praevalens, insignem ad haemorrhagias sexui sequiori opportunitatem exhibent, quod multo clarius apparet, si systema genitalium respicis, cujus naturae accommodatum sanguinis profluvium in morbum abire, vel intempestive suppressum alias haemorrhagias et morbos procreare potest. Charactere et indole consideratis, haemorrhagiae notam erethismi vel adeo torporis, nimia sanguinis viriumque exinanitione conjuncti, saepe exhibent. Nihilo minus vero prognosis in universum est faustior, quippe femina sanguinis jacturam facilius perferat atque restituat. Quod magis etiam elucet, si haemorrhagias in morbis criticas et salutiferas, frequentiores mediteris. Ceterum haemorrhagiae, in viris semper praeter naturam et morbosae, suppressae feminis minus sunt periculosae, et plerumque minori negotio ad locum pristinum queunt revocari. Apoplexia cerebralis feminas rarius adgreditur, quam viros. Habitus apoplectici defectio, feminis fere communis, minores arteriae ad encephalum adscendentes, vita cerebri minus praevalens, opportunitatem minorem iis praebent. No-

xae externae, studia acriora nimisque protracta, spirituosorum nimius usus, rarius feminas offendunt. Nonnunquam vero apoplexia apud feminas annos climactericos transgressas, habitu apoplectico praeditas, vita sedentaria, otio nimio atque inertia utentes, opimis beneque alentibus epulis fruentes, observatur. Apoplexia, impedito sanguinis a cerebro refluxu, pressione strumae in venas, provocata, frequentius in sexu femineo occurrit. Idem de frequentia apoplexiae spinalis, menses suppressos, aut haemorrhoides excipientis dixerim. Haemorrhagiae organorum, respirationi inservientium, omnino rarius in sexu femineo existunt; et quae, ut epistaxis et haemoptoe, in puellis quamvis haud raro occurrunt, maturius tamen cedunt minusque periculi minantur, propterea quod organa respiratoria, appropinquante pubertate, ob promtiorem ad systema genitalium sanguinis affluxum illis difficultatibus liberentur.

Haematemesis frequentius in feminis invenitur. Nonnullae, quibus menses primi non rite procedunt, aut provectiori aetate menses justo prius cesserant, magnam sanguinis nigri copiam saepe vomitu edunt. Haematemesis feminis minus periculosa.

Cholerica et atrabilaris constitutio, ciborum potuumque calefacientium atque drasticorum abusus efficiunt, ut melaena in viris frequentius inveniatur.

Haemorrhagiae renum visicaeque urinariae in utroque sexu haemorrhoidibus suppressis, in femineo praeterea suppressis mensibus, in masculo calculis renes et vesicam irritantibus, utplurimum gignuntur.

DE CATARRHIS.

Membranae mucosae, quas solas morbus catarrhalis sibi vindicare potest, majorem, excepta illa tractus respiratorii et apparatus uropoetici, in sexu femineo, superficiem exhibent. Vita venarum in mulierculis praevalet et secretio larga. Uti omnes partes corporis feminei, ita membranae mucosae prae aliis arctiori commercio, consensu et sympathia junctae sunt, quod in catarrhis facile est observatu. Sic catarrhus, in aliquapiam membrana mucosa occurrens, per sympathiam in genitalibus fluorem album excitare valet.

Catarrhus tempore, quo menses instantes non apparent, characterem inflammatorium induere solet. Febris in catarrhis tractus intestinalis propter praevalentem venarum vitam in torpidam abeundi propensionem exhibet.

Catarrhus chronicus in sexu sequiori frequentius excipit catarrhum acutum, pneumoniam, bronchitidem, crisibus benignis non solutas, itaque protractas.

Idem, quod ad frequentiam, de asthmate humido, saepe comite vel vicario blennorrhoeae geni-

talium. Symptomata morbillorum topica, quae eruptionem exanthematis antecedunt, in sexu sequiori leviora atque mitiora observantur, ideoque pneumonia rarior; frequentiora vero symptomata nervosa; febris levior, quare eruptio et decursus exanthematis tardior et irregularior; crises minus perfectae et morbi secundarii frequentiores. Morbilli gravidis et puerperis sunt periculosissimi.

Febris gastrica feminis frequentius potitur. Dispositio, in languente et infirmo ventriculo posita, magis augetur graviditate et puerperio.

Febris pituitosa. Tardior hujus morbi in sexu femineo decursus febri torpida saepe stipatur. Morbus ille subdolus hinc inde serpit et propagatur, non solum membranam totius tractus intestinalis, sed et haud raro systematis genitalium et uropoetici mucosam infestat facileque recidivus evadit.

Helminthiasis sexus feminei est amantior, quum homines, systemate nervorum abdominalium ad dysdynamiam vergente, habitu leucophlegmatico praediti, ad secernendos humores et profluvia mucosa proni, quorum vita arteriarum, sanguinis, organorum in abdomine sitorum, imprimis tractus intestinalis languet atque hebescit, ad illam ferantur. Symptomata nervosa, ex helminthiasi profecta, in feminis frequentiora et altiorem gradum obtinentia observantur, unde omnia mali hysterici symptomata haud raro emergunt. Helminthes, praesertim in re-

cto habitantes, oxyurus vermicularis, haud raro per sympathiam uterum et vesicam urinariam afficiunt, fluorem album, catarrhum vesicae, dysuriam, stranguriam et ischuriam provocant. — Ceterum remedia drastica, ad eliminandas helminthes in usum vocata, a mulieribus facilius feruntur.

DE RHEUMATISMO.

Si partes, quas rheumatismus infestat, musculos, ligamenta, aponeuroses, membranas fibrosas et serosas, respexeris, majorem in viris dispositionem ad hunc morbum fateberis; praeterea cutis mollior atque tenerior, ad sudores propensa et injuriis magis patens in feminis non est omittenda.

Rheumatismus acutus, quamvis in sexu femineo rarior, magna tamen symptomatum acerbitate saepe insignis, feminis teneriori cute instructis, simulque obesis et sanguine abundantibus periculosissimus est, quippe quae medicamina gravius agentia aegrius ferant; venaesectiones largiores inflammationem pleurae, pulmonum cordisque; emplastra vesicatoria erysipelas, intumescentiam et inflammationem glandularum, nec non mingendi impedimenta gignere queunt. Affectiones rheumaticae mulierum omnes in chronicas abeundi magnam habent opportunitatem.

Miliaria puerperas maxime infestant, eo prae-

sertim tempore, quo constitutio viget rheumatica et morbi superficiem corporis petere moliuntur.

DE ERYSIPELATE.

Sexus sequior dispositione ad erysipelas majori, quam virilis eminet, quae in teneritate, sensibilitate et mollitie cutis muliebris, eximia nervorum sensibilitate, functionum systematis reproductivi facili turbatione, majori sensibilitate et irritabilitate hepatis, quod praegrandes in excitando erysipelate partes agit, frequentioribus in sexu sequiori idiosyncrasiis et in variis corporis functionibus, causis externis faventibus, posita est. Tempore, quo menses primi accedunt, vel menses annis climactericis evanescunt, aut aliquomodo perturbantur, facile apparet. Quaedam feminae quotannis, praesertim vernali vel autumnali tempore, erysipelate laborant. Ad locum mutandum erysipelas in feminis est opportunius. Faciei erysipelas feminis est frequentissimum; rarius quidem, sed frequentius tamen, quam viris, erysipelas manuum pedumque. Zona etiam crebrius in feminis observatur. Et urticaria propter varias idiosyncrasias saepius in feminis existit, fragis, cancris etc. comesis.

Morbis sequentibus contagiosis, qui, ut scarlatina, variolae, varioloides, varicellae, erysipelatis familiae adnumerantur, sexus uterque pari modo affici solet. Quasdam symptomatum differentias ali-

quando incidere, animadvertimus. Symptomata scarlatinae anginosa sexum virilem vehementius atque acrius petunt, quare prostratio virium major subesse videtur. Sed haud raro in feminis munera genitalium vim in hunc morbum nimiam exserunt; decursus exanthematis legitimus mensibus facile impeditur; gravidae abortu periclitantur. Et pubertatis atque puerperii tempore scarlatina periculosior. Morbi secundarii, imprimis hydrops, frequentiores.

Menses, in morbo varioloso simul cum exanthemate vel oriente vel jam ad acmen provecto, apparentes, saepe magnam in illud vim exserunt, ita ut brevi cruentum colorem concipiat. Et gravidae atque puerperae in magno versantur periculo; nam formatio exanthematis impediri et alienari, vel hoc ipsum munera genitalium offendere atque pervertere potest.

DE VITIO SCROPHULOSO.

Num unus alteruter sexus prae altero corripiatur vitio scrophuloso, difficile est diremtu. Ceterum constitutio lymphatica, cui sexus sequior frequentius virili est obnoxius, majorem dispositionem suppeditare videtur, qua de causa *Joerg* et alii contendunt, puellas ad species morbi scrophulosi varias praecipue esse pronas, ad scrophulas glandulosas, rhachitidem, blennorrhoeas scrophulosas. Quin etiam sine dubio scrophulosa haec dispositio

multum confert, ut tempore ineuntis pubertatis menses vel nulli, vel maxime irregulares prodeant, unde variae dyscrasiae, chlorosis etc. sese manifestare incipiant. Contra vero in puellis non raro est videre, post menses ingressos, simul derivationi materiae morbosae inservientes, vitium scrophulosum evanescere, remanente interim dispositione, annis climactericis iterum emergente, et conformatione vitiorum organicorum, indurationis, scirrhi etc. sese manifestante.

Struma scrophulosa in sexu sequiori frequentior et in regionibus quibusdam endemica observatur.

DE PHTHISI.

E. a Siebold spatium thoracis muliebris angustius majorem ad phthisin pulmonalem dispositionem sistere autumat. Quum vero et pulmones minoris sint ambitus, haec dispositio potius sensibilitati et irritabilitati pulmonum sexus feminei majori adjudicanda est. Praeter dispositionem quod ad frequentiam morbi notatu etiam digna est vis, quam munera corporis feminei varia, graviditas, puerperium, lactatio in illum exserunt, qui incipiens graviditate superveniente sanari, vel saltem ejus decursus retardari possit. Sed post partum phthisis plerumque recrudescit, et decursus, graviditate retardatus, celeritate majori compensatur. — Nec raro post lactationem debito longiorem feminae debiles,

et systemate nervoso sensibili instructae, phthisi corripiuntur.

Addamus nonnullas, memoratu dignas, sexui sequiori non nisi proprias phthiseos species: phthisin menstrualem et puerperalem, quae adhuc id habent specifici, quod in lobulis pulmonum inferioribus sedem ponunt. Menses justo tempore si non prodeunt aut parciores fluunt, vel iidem aut lochia, aut secretio lactis supprimuntur, feminae, habitu phthisico munitae, hoc morbo facile tentantur.

Et illa phthiseos species, quae haustis gelidis potibus excitatur, frequentius apud sexum femineum, apud puellas, pubertatem ingressas, occurrit. Dolores regionis epigastricae paulatim evanescentes in affectis pulmonibus emergere incipiunt.

Phthisis laryngea apud viros, trachealis vero frequentius apud feminas deprehenditur.

DE HYDROPE.

Quod ad frequentiam hydropis, respectu sexus habito, *Sydenham* ita disserit: „Feminae hydropi magis sunt obnoxiae quam viri, verum hos aetate praesertim ingravescente adoritur; illas, ubi jam parere desierint. Steriles autem quandoque etiam juniores occupat." Habitus quoque hydropicus, florente aetate, adipem procreandi nisu jam insignis, annis climactericis et finito mensium fluxu multo insignior, quippe quo tempore perspiratio cutis adipe

adaucto reprimatur, frequentius in sexu femineo cernitur. Abdomen ejusque viscera amplitudine excellentia, vires eorum languentes, majorem ad hydropem omnium infra diaphragma collocatarum partium dispositionem praebent. Qua de causa ascites primarius et secundarius multo frequentius in sexu sequiori observatur; idem de anasarca extremitatum inferiorum et oedemate pedum tibi persuadeas velim.

Hydrops vero omnium organorum, quae supra diaphragma collocata sunt, saepius viros adoritur, quod minus mirandum, si magnitudinem, habitum et functiones partium praevalentes respicis. Hydrocephalus igitur chronicus, hydrorrhachitis, hydrothorax atque hydrops pericardii magis viros invadunt, excepta duntaxat illa hydropericardii specie, quae e pericarditide, suppressis mensibus exorta, et in hydropem praecocem conversa, originem duxit.

Hydrops feminis, quam viris, periculosior.

DE MORBO HAEMORRHOIDALI ATQUE ARTHRITICO.

Haemorrhoides atque arthritis eodem ex fonte, systemate nempe venae portarum proficiscuntur. Diversitas morbi utriusque non nisi illuc respicit, utrum materies morbosa per venas, an per arterias ejiciatur. In sexu sequiori magis venae, in virili magis arteriae eliminandae materiae inserviunt; qua

de causa affectio altera magis feminis, altera magis viris communis est. Apud feminas genitalium functiones conformandis haemorrhoidibus non sunt impares; menses enim saepe haemorrhoides reprimunt, quae, illis legitimo tempore finitis, sensim emergeré et fluere incipiunt. *Reil* de diversitate haemorrhoidum utriusque sexus ita loquitur: Viri frequentius, quam feminae laborant haemorrhoidibus fluentibus, quoniam potibus spirituosis magis indulgent, bacchantur et mensibus carent; feminae vero coecis propter languorem vasorum, vitam sedentariam, graviditatem et partum. Haemorrhoides feminarum, post menses suppressos vel durante graviditate, exortae, sunt coecae; fluentes vero post menses rite finitos. Feminas, mensibus simul et haemorrhoidibus fluentibus detentas, facillime phthisi tentari autores contendunt. Gravidis et parturientibus haemorrhoides sunt molestae atque periculosae.

Sexum virilem multo frequentius arthritide, saltem regulari et praesertim podagra affici, nemo ignorat; sexum vero sequiorem neurosibus, quae ex eodem, ac arthritis, fonte scaturiunt, hemicrania est.